

lidum omne ignem appellat, non aliter ipsemet Aristoteles libro De respiratione capite 8. calorem naturalem πῦρ, *ignem* vocat de nutritione loquens:<sup>73</sup> *igne conficiuntur omnia et*<sup>74</sup> *hanc autem sine naturali igne*. Plato [347] Timaeum in Timaeo secutus, quid mirum si lumen ignem appellaverit? At extinctio a frigido et humido facta, huic tertio igni non competit, etiam si lumen calidum sit natura.

Quid ergo hic tam operosa obiurgatio operatur? Plato verbo ἀποτέμνεται, *abscinditur, praeciditur*, usus est metaphora nimirum, quia proprium non est positum, metaphora etiam secunda κατασβέννυται, *extinguitur*, analogia, qua lumen ignem vocaverat. Extinguitur autem hic etiam ignis suo contrario, contrarium eius sunt tenebrae a quibus praeciditur, non exit: quia non est συμφυὲς τῷ πλησίον ἀέρι *connatum vicino aeri, ἅτε πῦρ οὐκ ἔχοντι*<sup>xxiii</sup> *ut pote ignem non habenti ignem*, id est lumen. Simile enim exit ad simile. Hoc ex principiis ductum est, quando oculos igne constare docuerat:<sup>75</sup> *est vero secundum illius principia rationale ita*, uti 6. Sapientiae ipse de quibusdam dixit. Ridicula ergo est Aristotelis obiectio haec, tum quo ad metaphoram, tum quo ad rem quoque ipsam.

Libro de respiratione capite 5. alia est reprehensio:<sup>76</sup> *Ea vero, quae in Timaeo scripta est obtrusio, de aliis animalibus nihil determinavit, quem ad modum ipsis calidi fiat conservatio. Utrum eadem vel aliam aliquam ob causam.*

<sup>73</sup> πῦρ γὰρ ἐργάζεται πάντα. [ARIST. Resp. 474a.28]

<sup>74</sup> ταύτην δ' ἄνευ τοῦ φυσικοῦ πυρός. [ARIST. Resp. 474b.12]

<sup>75</sup> ἔστι δὲ κατὰ μὲν τὰς ἐκείνων ἀρχὰς εὐλογον καὶ οὕτως. [ARIST. Metaph.1081a.37]

<sup>76</sup> ἢ δὲ ἐν τῷ Τιμαίῳ γεγραμμένη περίωσις περὶ τε τῶν ἄλλων ζώων οὐδὲν διώρικε τίνα {cor ex τινὰ} τρόπον αὐτοῖς ἢ τοῦ θερμοῦ γίνεται σωτηρία, πότερον τὸν αὐτὸν, ἢ δι' ἄλλην τινὰ αἰτίαν. [ARIST. Resp. 472b.6 – 8]

<sup>xxiii</sup> Usp. PLATO, Ti. 45.d.6.